

Q. K. 376, 15.

X 1903792

II n  
5071

Q. D. B. V.

Ex Historiâ proximi Seculi

De

# ELISABETHA

Angliæ Reginâ

Ampliss. Facult. Philosoph. indultu

Sub PRÆSIDIO

VIRI *Excellentissimi atq; Clarissimi*

## DN. M. JACOBI THOMASII,

Eloqv. Prof. Publ. Min. Princip. Collegii  
Collegiati

*Patroni ac Præceptoris sui etatem colendi*

publicè disquirenda

proponit,

*que hic exhibet,*

Autor

### Wolff Christoph Pitterlin/

Elsterverd, Misn.

*Ad diem IV. Julii M. DC. LXXIV.*



L I P S I Æ,

Stanno WITTIGAVIANO.

717 C.D. 17



*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*





## I. N. J.

**Q**uod ad Tuum in præsens favorem argumentum proficiscitur Lector! ne interpreteris emissum, quasi ego domesticorum tædio abreptus, peregrina tantummodo in pretio habere constituam. Causa n. instar omnium rara ac planè masculina fœminæ hujus in moderandis regni gubernaculis prudentia pro me militabit. Alioqvi aestimatores, Te judice, facile invenire debet singularis ævi illius, quod hanc aluit, fœcunditas. Quippe in cujus veluti sinum, quicquid excellentiæ interjectis multis seculis vetustas paulatim exhibuit, uno exoneratum impetu videtur. De cætero non est, ut magna de me Tibi pollicearis (atque ea fortè Tuarum minima curarum est) Sed erit potius, ut fiduciam impleas, quam modica & omninò exigua ingenii vis, juxtaqve ætas ab usu minimè firmata à Tuo sibi jam favore stipulantur. Fave autem conatui & vale.

### APHOR. I.

Elisabetha Angliæ Regina Paternum genus regium, maternum impar habet; id tamen nobile multisqve per Angliam & Hiberniam imaginibus coruscans.

A 2

Expli-

## Explicatio.

- 1 **A** Ulpicatum exoptatumque universæ Britanniae a) Elisabe-  
thæ nomen; idque geminâ imprimis vice notatum. Al-  
2 tera nuptiis Angliam, cœlibatu altera Britanniam confir-  
mavit. † Ibi quassato intestinis dissidiis regno salutaris  
obtingere nihil potuit, quàm ut attritæ inter se hæctenus alba & ru-  
bra rosæ (sic enim Eboracensis & Lancastrensis domus olim audie-  
bant) ex unâ in posterum frutice pullularent. Eo illas nomine  
3 Henricus VII. Lancastrensis copulavit, junctâ sibi in torum Elisabe-  
thâ superstite Eboracensi. b) † Hic verò nativum inter duo poten-  
tissima Regna Angliam & Scotiam odium c) multis retro seculis  
pluribus bellis nutritum non nisi voluntariâ unius morte voluit  
deleri. Atqui hanc sustinuit nostra, eò in liberis vivere recusans,  
ut felicius aliquando successor viveret, imò ut sub uno felicius duo  
4 plurave regna. † Sed ad sortem nascendi. Nata est Greenvici,  
quod Angliæ ad Tamisin oppidum est, anno supra millesimum &  
5 quingentesimum trigesimo tertio, d. 7. Sept. † Pater ei Henricus VIII.  
avus Henricus VII. Angliæ Reges. Abhinc ad Principem usque  
6 gentis Normannicæ Wilhelmum conquestorem per XII. Reges &  
Principes majores ascendit d) † Suscepta ex secundis nuptiis, quas  
Henricus pater cum Annâ Thomæ Boleni Equitis Georgiani filiâ  
anticipavit, superiori conjuge non mortuâ, sed maritali fœdere ma-  
7 numissâ. † Videri volebat Henricus repudium Catharinæ, quæ fra-  
tris Arthuri conjux fuerat conscientiæ debere (quæ tamen per XVII.  
jam annos consortium toleraverat). Causam divortii omnium vali-  
8 distimam alii fastidium interpretabantur in annosam, atque ipsius  
inexhausto ad Venerem succo jam minorem e). † Huc faciebat  
recens in Hispanicam domum odium. Quod pro virili promovit  
Thom. Wolfæus ille in Aulâ Anglicâ purpuratus, animo Impera-  
tori

a) Quoad reliquas Insulas complectitur & magna Britannia hodiè audit b) Vid.  
Franc. Bac. de Verulamio in vitâ Henrici VII. p. m. 15. & passim, Edit. 1662.  
c) Confer. Fr. B. Verulam. in vita Henr. VII. p. m. 342. Camdenus An-  
nal. Angl. ad Ann. 1587. p. 483. Edit. Francof. d) Vid. Rittershuf. Ta-  
bul. Geneal. r. e) Fuit alioqui fœmina moribus sanctissimis, aliquanto  
moriosioris indolis & sæpè aboriens. Camd. in Appar.

tori Carolo, cujus illa matertera erat, nocendi *f*). Hinc ad Galli-  
 cam affinitatem flectere Henricum satagebat. † Hic verò aures  
 Wolsæo ultrà inculcanti occludens, oculos seqve Bolenæ Veneri  
 -mancipavit. † Nec Pontificem prohibentem audivit, quin potius  
 -avitam ejus circa hoc & alia negocia autoritatem per omne regnum  
 -abrogavit; Pro repudio autem Cantuariensem Episcopum pro-  
 -nunciare jussit. † Sic Anna Bolena in aulâ ante Gallicâ famulata,  
 -deinceps inter Virgines honoratas in Angliâ admissa, in præsens  
 -conjug Henrici salutatur. † Horret animus ciere, quæ contra Annæ  
 -natales Nicol. Sanderus & qui eum sequuntur Pontificii plures me-  
 -morix prodiderunt. *g*) Namque & filiam Henrici eam juxtaque  
 -conjugem, sed & unius ex regis pellicibus sororem affirmant. A  
 -quo flagitio ut patrandò natura, sic asserendo probioris notæ Scri-  
 -ptores abhorrent. † Cambdenus *b*) cui vel plures perduelles San-  
 -deros posthabeo: *Nicol. Sanderus*, inquit, *primus omnium horren-*  
*dum illud contra matris Elisabethæ natales mendacium conflat, quod*  
*nemo temporibus illis recenti in eam Pontificiorum odio novit, Anglia*  
*totis 40. postea annis non audivit, temporum ratio falsitatis & vanitatis*  
*liquidissimè convincit, & ipse sui immemor, quod mendacem non oper-*  
*ruit, planè coarguit.* † Illud equidem constat, Henricum (quâ erat  
 -levitate) novo igne tostum mox odio Annam habere cœpisse, sed &  
 -violati infimulatam tori morti commendasse: Illam objecta in lo-  
 -co supplicii tantâ constantiâ diluisse, ut multitudo affusa innocen-  
 -tem circumventam judicaret. *i*) † De Divortio negocium ut disce-  
 -ptatum tunc temporis inter Theologos, *k*) sic Theologis defini-  
 -endum relinqvam, ne inscitiam prodam, aut aliena contrectando  
 molestus sim.

*A*) Quod Carolus V. ei ArchiEpiscopatum Toletanum negaverat, impotentissimi  
 homo judicii vindictam spiravit. *ib.* *g*) *Nic. Sander.* in libr. de ortu &  
 progress. Schism. Angl. l. 1. Florimundus Reymondus de ortu hæres. part.  
 6. c. 2. *b*) *Annal. A. 1583. p. 396.* *i*) *Camd. in Apparatu ad Annal.*  
*k*) *Conf. Verul. in vit. Henr. VII. p. m. 339. Camd. App. p. 15.*

## APHOR. II.

Elisabetha pueritiæ annos calamitosos, ado-  
 -lescentiæ quoque potissimam partem in  
 -carcere transegit.

A 3

Expli-

## Explicatio.

1 **P**arem cum matre sortem partus occupabat a) Mater enim ille-  
gitimè concepisse. filia illegitimè concepta damnabatur, ad natu-  
2 ralem illa, hæc ad civilem mortem iuribus familiæ extinctis. † Sed  
adeò in diversas identidem partes animus Henrici parentis distra-  
hebatur, ut quam in spem regni susceperat, b) cuiqve successionem  
in casum masculi deficientis procerum consensu destinaverat ean-  
dem jam hæreditate indignam, mox postliminiò regni sui dignam  
3 denuò hæredem post Eduardū fratrem & Mariam è primo conjugio  
sororem nominaret. † Noviss. Regis voluntatem ordines ratam ha-  
4 buerunt, atqve exitus implevit: Quamquam variis fortunæ procellis  
agitata prius fuit nostra, † Tenella adhuc, ut à maternis amplexi-  
5 bus præmaturè avulsa, sic tyrannidem paternam ad adolescentiam  
usqve experta est. † Nec tamen indolem Augustam hæc calamitas  
fregit, sed potius erexit. c) Sic palma depressa eò pertinacius se in  
6 sublime attollit. † Sub fratre Eduardo VI. d) respirare potius  
7 quàm convalescere penitus licuit. † Et sanè æqualitas morum, mu-  
tuum item commercium studiorum, & communia lacra, optima  
illa animorum ligamina, arctius principem utrumqve tenuerunt. e)  
8 † Ipsam ingenii pariter & corporis dotes in illo ætatis flore amabi-  
lem cuivis reddiderant. De ingenio eoqve exculpto testantur, qvì  
eam ante XVII. ætatis annum Latinam, Gallicam, Italicam linguas  
9 calluisse, sed & Græcam mediocriter, scripserunt f), † Moritur jam  
dilectus frater g) Eduardus vix pueritiã egressus. Recitantur su-  
premæ defuncti tabulæ, quibus à successionem summotæ sorores, h)  
Scripta hæres Jana Greja Ducis Suffolciæ filia, Henrici è secundâ  
sorore proneptis à Joh. Dudlejo Warvvici comite, ejusqve affeclis  
10 promulgatur. † Itur in duas easqve armatas partes: mox tamen  
Maria subnixâ populi favore, qvì potissimum & acqvirendorum &

con-

a) Camd. in Appar. p. 19. b) Camd. p. 18. it. p. 21. & in Annal. ad A. 1559. p. 41.  
c) Flamma Generosæ mentis facile extingvitur, nisi fortunæ adversæ  
ventus eam exsuscitet vid. Saavedr. Symb. Pol. 35. p. 256. d) Hic succes-  
serat A. 1547, vix 10. natus annos. Camd. in app. e) Eduardus non  
alio quàm dulcis sororis temperantiæ nomine Elisabetham salutabat.  
Camd. App. p. 23. f) Camd. App. p. 23. Caspar Ens Hist. Belli Civil. in  
Belg. ad Ann. 1603. Sed & Musicæ non ignara fuit. Ibid. g) Anno 1553.  
h) Camd. App. p. 24.

conservandorum instrumentum regnorum est, obtinuit. † Obla- 11  
tum diadema modestè Elisabetha recusasse fertur, sorori non sibi  
competere respondens. † Quæ moderatio non exiguum innocen- 12  
tiæ asylum videtur tum præbuisse, cum læsæ in sorore Majestatis &  
conflatae conjurationis ipsa accusaretur. † Quamquam judicium 13  
hoc satis asperum (quantum conjicere licet) timor ex æmulatione,  
familiare Principibus vitium Mariæ dicitaverat. † Accedebant 14  
continuae Pontificiorum insusurationes, qui (vadebant, *hereseos ra-*  
*dicem non ramusculos debere excindi. i)* † Certè actum de Elisabe- 15  
thâ fuisset, nisi sterilitas Mariæ Philippo II. ejus marito metum in-  
jecisset, ne sublatâ etiam Elisabethâ Angliæ Scotia coalescens Gallo  
vires augetet *k*). Erat enim jam tum Maria Scota Francisco despon-  
sata Franciæ Delphino. † Interea inclusa carceri integrum quin- 16  
quennium sedit. *l)* Compellata clandestinis à Galliarum Rege Hen-  
rico II. literis ut & Daniæ Rege *m)*. Ille evocare ad se in Galliam  
sategit; Num verò in Elisabethæ, quàm suam causam, qualis sub in-  
cude & malleo versabatur, æquior, contextus temporum enodabit.

### A P H O R. III.

Elisabetha ex lege successionis, quo regiis li-  
beris à patre & Ordinibus prospectum  
erat, Regina declaratur. Principem cu-  
ram religioni, alteram publicæ destinat  
securitati.

#### Explicatio.

**L**ex, quam dixi, successionis, anno XXXV. Henrici Regni lata in- 1  
star supremarum tabularum erat. *a)* Hujus ad tenorem Elisa-  
betha anno 58. ingenti animorum conspiratione legitima Angliæ,  
Franciæ & Hiberniæ Regina promulgatur. † Afflictus eâ vel maxi- 2  
mè

*s)* Camd. App. p. 29. *k)* Casp. Ens Hist. Belg. ad A. 1603. p. 246. *l)* Quo-  
ad Maria regnavit. *m)* Camd. App. p. 29. *n)* Quantum ad univer-  
sum negocium conf. Thuan. l. I. Histor. Sleidan. l. IX. *a)* Camd.  
Ann. A. 59. p. 46.

me tempestate regni status jacuit. Præter discordiam in religione,  
 quam Maria restringendo suscitaverat, bellum, Scoticum Gallicum-  
 que & hujus fructus *b)* Caletum amissum, æs deinde alienum Pro-  
 3 tectoris tempore contractum, malè affecerat Reipubl. corpus. † Ei  
 curando fœmina, eaq; à potentiorum amicitia nuda adhibebatur, &  
 4 certè præclarè medicinam fecit. † Cum religione ita habuit. Pro-  
 fligaverat Henricus VIII. Pontificis auctoritatem, Eduardus simul  
 doctrinam amovebat. Et dogma & auctoritatem Maria denuò vin-  
 dicabat, radice tamen reformatæ, cùm frustranea essent extirpandi  
 consilia, remanente. Hanc fovit atqve excitavit Elisabetha, supre-  
 5 mâ circa sacra potestate sibi assertâ. *c)* Factum id, quo videlicet fœ-  
 mina de sacris statuere sumit, omnibus Christi & Ecclesiæ legibus, i-  
 6 mò Naturæ ordini injuriam inferre Sanderus *d)* contendit. † Quod  
 si verò sceptrum fœminis jura rectè conferunt, quidni dedisse simul,  
 7 quæ adhærent sceptro, intelligentur? *e)* † Sed ad Historiam. De  
 religione negotium tanto perfectum successu est, ut mirarentur o-  
 mnes sine motu ac sanguine avitam religionem exturbari, aliam in-  
 8 troduci. † Nempe in moderatione omne momentum. Pontifi-  
 cios eosqve potioris notæ non toleravit modo, sed ad sanctius quoq;  
 consilium adscivit, Catholicis Reformatos temperando. *f)* Post-  
 quam potentes beneficiis sibi devinxerat, plebs novarum rerum cu-  
 9 pida ( prout accidere amat ) facilè leges accepit. *g)* † Doctrinam  
 paulatim & per gradus mutavit: Jusjurandum (de agnoscendâ se  
 Ecclesiæ rectrice ( sic maluit appellari quàm caput ) Clero & Episco-  
 pis proposuit. Quotquot horum jurare abnuerunt, dignitate Epi-  
 10 scopali exuit, inq; vacuas sedes Reformatos extorres inmisit. † Quo  
 factum ut procul Civili tumultu, secus ac in Belgio Galliâq; paulò  
 post auditum, sed & sine jacturâ hominum, qualem Hispaniæ pro-  
 11 scriptio Maurorum *h)* attulit, religio stabiliretur. † Exprobrant pro-  
 inde Albano Politici errorem, quod lentis remediis insuper habitis  
 uno quasi ictu proscindere in Belgio religionem cum libertate susce-  
 12 perit. *i)* † Moderatiora ante eum in Germaniâ consilia fuerant Ca-  
 roli V. qui arma huic rei parum mederi perspiciens ex verbis ha-

mum  
*b)* Camb. Ao. 58. p. 36. *c)* Camb. ad A. 59. *d)* l. 4. de Schism. Angl. in  
 Elisab. *e)* Objecta cum refutat. vid. ap. J. F. Horn. de Civit. l. 2. c. 11. 4  
*f)* Camb. A. 59. *g)* Conf. Saavedra Symb. Pol. 27. *h)* Ao. 1610. sub  
 Philipp. III. *i)* Confer. Boxhorn. Instit. Pol. l. 1. c. 10. p. 196.



mum fabricavit, libellum illum Interreligionis (ut vocabant) op-  
 ponendo; k) ac videbatur aliquid impetraturus, nisi ejus indolis  
 sincerum dogma fuisset, ut Politicas quascunqve artes excuteret.  
 † Sed ad curarum Elisabethæ partem circa externa. Caletò Mariæ 13  
 temporibus à Gallis capto cessare utrinque bellum ac de pace cum  
 Gallis agi cœpit l) † Ne itaqve tam salutaris res morte sororis (Ma- 14  
 riæ) interrumpetur, suo ipsa nomine eosdem, quos Maria nuper  
 Cameracum denuò ablegavit, & admodum urfit pacis maturatio-  
 nem. † Sic quam Hispanus inire recusavit, anteqvàm de Caletò An- 15  
 glia satisfactum esset, eam ipsa seorsim cum Gallo iniit pacem: Sive  
 quod lenta Hispani remedia non expeterent tempora sua, ærario  
 præsertim exhausto & securitate nondum domi planè assertâ; Sive  
 quòd festinata pace Pontificiorum præversura machinationes esset.  
 Certè gloriosius esse (subinde in ore habuit) pacem prudentiâ firmare,  
 quàm bellum per multas acies conficere. m) † Præcipuarum conditio- 16  
 num pacis una erat: ut Caletum elapsis octo annis ad Angliam re-  
 verteret. † Eodem tempore auspiciatum sidus pacem quoque cum 17  
 Mariâ Scotiæ Reginâ indulsit. Utraque per Angliam promulgata.  
 † Altera, quo minus adeò benignè exciperetur, de recuperando 18  
 Caletò spes dubia fecit. Cùm tot tantarumqve Gallis impertitarum  
 cladum ne gleba amplius monumentum superesset; Et oppido  
 succurreret, quantum in Caletò recuperando n) multis abhinc an-  
 nis Galli desudaverint. Quanti verò utriusqve interfuit Cordesius,  
 olim Caroli IIX. Gall. R ad bellum Flandricum Legatus, indicavit.  
 Solitus idem dicere erat: o) Velle se libenter per septennium hospi-  
 tem inferni esse eâ lege, ut Caletum ex Anglorum manibus eripere-  
 tur. † Hinc fuit, ut Gallorum de restituendo Caletò promissis par- 19  
 vam fidem, imò nullam, Angli tribuerent, cùm illorum fidei adeò  
 adversa sit tenacitas & cupido habendi. † Rem eventus compro- 20  
 bavit: Caletum post octennium ab Anglis ex pacto, sed frustra, re-  
 petitum, Gallis antiquum suum in illud jus allegantibus. † De do- 21  
 lo Elisabetha per Thom. Smithum conqvesta, hic in Galliâ ita locutus  
 B est:

k) Vid. Svavis Conc. Trident. Hist. l. 3. p. 329. it. Thuan. l. 5. l) Camd. Ann. 59.  
 p. 46. m) Tacitus Annal. 2. c. 64. 2. vid. Loccen. Comment. ad Epist. 1.  
 Salust. ad J. Cæs. p. m. 262. n) Caletum ultra CC. annos Anglicæ di-  
 tionis fuerat. Camd. Appar. p. 31. & Annal. p. 139. o) narrat Verulamius  
 in vitâ Henr. VII. p. m. 139.

est: p) Se perspicere quicquid Galli quo jure quâ injuriâ in possessionem  
semel attraxerint, id pro suo, jure deputare, tanquam iis jus solum esset  
22 in armis & nihil interesset, bonâ, an malâ fide possideant. † Sed dandum  
id Gallorum ingenio est, cujus acumine (fraudem non dicam) plus  
nocent quàm armis. Nocuisse imprimis Anglis Phil. Cominæus  
docet: *Pactio* (scribit) inter Anglos & Gallos nulla unquam facta fuit,  
in quâ non ingenii vi & acrimoniâ Galli Anglos superarint. Ut apud  
Anglos proverbium sit: *Ubi cum Gallis prælio decertarint victores, se ut  
plurimum fuisse, quoties verò cum illis pacti sint, detrimentum semper  
aliquod accepisse.*

p) Camd. ad Ann. 67. p. 139.

#### APHOR. IV.

Pacem Cameracensem recens initam Gallus  
violat. Per Scotiam infestare Angliam  
molitur. Cumque molientem mors  
præverteret, Gvisii inimicitias adversus  
Elisabetham summo studio propagant.  
Quas Edenburgensis pax sopivit potiùs,  
quàm delevit.

#### Explicatio.

- 1 **P**Ræfidiarios Gallus, quos deducere è Scotiâ promiserat, non mo-
- 2 **P**dò non deduxit, sed plures quoque clam submisit, a) † Insuper  
Pontificem vehementius, quàm ante, sollicitavit, ut Excommunica-  
tionis decreto Elisabetham innodaret, Mariam Scotam legitimam,  
istam illegitimam Angliæ Reginam declararet. Quod tamen, quo  
minus in præsens emitteretur, Imperator & Hispanus contraniten-  
do impedierunt. b) † Interea Gvisii Regem Henricum, hic filium  
3 Franciscum II. & Mariam nurum impellere, ad titulum atque insi-  
gnia Anglici regni usurpanda: Rex verò undique copias contrahe-  
re, incerto exteris consilio, quorsum apparatus, quorsum destinata  
specta-

a) Camd. A. 59. p. 58. b) Ex Politicâ ratione, ne permittendo Galli potentiam  
promoverent.

spectarent. † Elisabetha subodorans de ipsâ deturbandâ Gallos 4  
 tam enixè agere, antevertere quàm expectare impetum statuit. c) Et  
 quanquam Henricus mox inopino casu in hastiludio expiraverat,  
 exspirasse tamen cum eo simul inimicitias neutiquam credit. † Hinc 5  
 Scotiâ eliminare Gallos meditatur d) Eoque cum reformatis Scotis  
 anno 1560. foedus Barvici pangit, & adversus Reginam ipsorum  
 sublevat: proximo videlicet pariete ardente suam agi rem existimans.  
 † Missus cum terrestri exercitu Dux Norfolkiae, cum classe W. Win- 6  
 terus; Uterque Letham, Scotiae non procul Edenburgo oppidum  
 terrâ marique cingunt. † Quo factum, ut ad pacem obsessi omni 7  
 aditu interclusi properarent. e) Pax adeò Edenburgi sancitur: Pa-  
 ci Cameracensi recens robur additur: Titulus & insignia in Elisabe- 8  
 thae contumeliam usurpata abrogantur. † Notaverim hîc, quod Po-  
 litici f) passim annotant: praestare in publico praevnere quàm  
 praevniri, nec non justè inferri ob minas & apparatus vicini bellum.  
 † Prudentiam hîc etiam fortuna adjuvit. Peropportunum enim 9  
 accidit, eâ tempestate discordias alere Regnum Scoticum internas,  
 quas fovendo & sanguinis & pecuniae profusioni parci potuit. † At- 10  
 que illud est, quod de Romanorum fortunâ Tacitus extollit g) *Ur-*  
*gentibus* (inquit) *Imperii Romani fatis nihil praestare fortuna majus*  
*potuit quàm hostium discordiam.* † Iniquitatis Elisabetham Pontifi- 11  
 cii postulant, utpote Nicol. Sanderus de Schism. Anglic. in Elisab.  
 Florimundus Rheymond. de ortu haeref. h) Obertus Barnestapoli-  
 in Mariâ innoc. & alii. † Disceptabant, sed cum disceptandi non am- 12  
 plius tempus esset, justitiam hujus foederis Galli. Mox discepta-  
 tioni finem imposuit vitæ finis Francisci II. Galliarum Regis. i)

c) Essè Anglicae providentiae: hostes praevertere, non expectare. Camd. ad A. 95.  
 p. 62. d) *Francum amicum habeat non vicinum*: à Valentiniano  
 Augusto diverbium hoc mutuata Elisab. in ore saepius habuit. Camd. ad  
 Ann 59. p. 63. e) Camd. Ann. 60. p. 69. f) Boxhorn. Inst. Pol. p. 216.  
 it. p. 243. Loccen. ad Curt. p. 41. g) de Mor. Germ. c. 33. 3. h) part. 6.  
 c. 35. n. 4. i) Camd. A. 60. p. 75. Quantū ad res SCot. Conf. Buchananus.

#### APHOR. V.

Elisabetha Reformatos in Galliâ contra Gvi-  
 fios adjuvat. Hinc novum cum Gallis  
 bellum, id tamen minus diuturnum.

B 2

Expli-

## Explicatio.

- 1 **F**ama obtinuit: *a)* Gvifios ut ad partes suas contra Hugonotarum factionem allicerent, Regem Navarræ Antonium Borbonium lactasse spe adipiscendi Mariam Scotam, Francisci defuncti viduam, in uxorem, in dotem Angliæ regnum. Idque opibus Hispani & Pontificis autoritate, qui connubium ejus cum hæreticâ uxore dissolveret. Quamquam Hispanus ad factionum ignem in regno Galliæ alendum, eoqve consumendam Galliam promptior, quam
- 2 amplificandam videbatur. † Elisabetha Henricum Sidnejum ablegat mandato instructum, ut utriusque duces partis ad pacem flecteret. Auribus autem ad pacis mentionem utrinq; surdis ipsa ad reformatorum partes accedit; fœdere cum Principe Condæo, Colinio aliisque constituto, *b)* postquam in pactorum securitatem Franciscopolin *c)* sibi ab iis fuerat stipulata. † Causam edito scripto indicavit eamque expressam ab affectu in minorem regem Carolum, quem contra Tutorum Gvifiorum rabiem tueri ipsa percuperet. Omnium tamen instar occasio erat interpellandi machinationes Gvifiorum, juxtaqve timor, ne ex Normanniâ, ubi densior seditionum aura spirabat, ejusmodi pestilenti halitu Anglia afflaretur *d)*. Prout haud obscure innuit datum Hispanico Oratori fœdus hoc dissuadenti responsum: *Sua cuiq; domus tuenda est, mihi mea.*
- 4 † Nihilominus præter ipsius spem accidit, ut quos argento pariter ac milite sublevaverat, malè beneficium refunderent Condæani. Iidem enim mox pacem, nullâ Reginæ habitâ ratione cum Gvifis amplectuntur; incauti & improvidi ad perniciem suam. Etenim ex eo fundi tæda nuptialis cæpta, quam sanguine suo pingere Hugonotæ destinabantur *e)* Gvifis belli aleam non ultra experturis.
- 5 † Nondum ingratitude satis, belli sociis pacis societatem negare, sed arma quoque in socios socii vibrant. Ipse Condæus Anglos Franciscopoli inclusos & antequam de Caleto satisfaceret discedere detrectantes oppugnare unâ aggreditur. † Quo factum, ut brevî Angli ejicerentur, ac cum virulento viatico remitterentur ad suos.
- 6

Quippe

*a)* Camd. A. 62. d. 90. *b)* Meter. ad Ann. 56. p. 30. Camd. p. 90. *c)* Al. novus Portus Neuhaven. *d)* Camd. A. 63. p. 97. *e)* Innuo solennia Nuptiarum A. 1572. Parisiis celebratarum, ubi plus sanguinis quam vini consumtum fuit. Vid. Thuan. l. 52.

Quippe contagionem pestis, quam in illa urbe contraxerant, secum adducentes Angliam ita infecerunt, ut modico temporis spatio Londinum ultra 23000 funera luxerit. *f)* † Juvat apponere, quæ expo- 7  
stulantibus propterea Anglis Condæani responderint: Nimirum  
*non de religione amplius, sed patriam liberandam dimicari. g)*

*f)* Camd. A. 63. p.99. Meter. p.31. ad A. 61. *g)* Camd. p.100.

### APHOR. VI.

Elisabetha Belgas contra Hispaniarum Re-  
gem Philippum libertatem armis vindi-  
cantes in tutelam suscipit, ære militeque  
juvat.

#### Explicatio.

**D**esectionem Belgarum conflaverat nimia Hispanorum felicitas, 1  
*a)* sub qua cupido dominandi & crudelitas veluti stipendia  
merebantur. † Adde libidinem ministrorum, quæ in capita ac 2  
bona Belgarum pro suo arbitratu impunè grassabatur *b)*; ut ex-  
acerbati his talibus injuriis Belgæ obsequium Regi renunciare, vimque  
viretundere constituerint. † Jamque Ordines libertatis suæ tenaces, 3  
tuendæ soli impares, assumere alieni Principis patrocinium decer-  
nunt *c)*. † Ex omnibus autem, quorum præsidium disquirebatur, 4  
Europæ Principibus, nemo majorem merebatur applausum, quam  
Elisabetha Angliæ Regina; quia opportunitate situs, religione, com-  
muni denique causam neminem illa viciniorem habebant. † Igitur 5  
anno 1575. ad reginam mittunt, qui ejusdem sibi tutelam stipularen-  
tur. † Illa suas res plerumque circumspectam providentiam condire 6  
gnara, Hispanorum inimicitias hinc, quæ occultè jam serpebant, il-  
linc Gallorum invidiam ne provocaret metuens, adesse quidem tum

B 3

Patro-

*a)* Causa mali eadem, quæ omnium, nimia felicitas. Florus pronunciat l. 4. c. 2.  
Conf. Boxhorn. Dissertat. Polit. in Jul. C. p. 115. It. Auth. Anonymus  
monit. Imperior. ad Gall. *b)* Meter. ad Ann. 1581. Boxhorn. Inst. Pol.  
p. 403. Adeatur hic (quod instar omnium esse potest,) Epist. de vera ori-  
gine superiorum motuum Belgicor. recens. à Cl. Schurtzfleisch. *c)*  
Meter. ad Ann. 75. Camd. ibid. Boxhorn. Disquisit. Pol. Cas. 20.

Patrona recusavit, pollicita tamen apud Hispanum munere interce-  
 7 dendi defungi *d*). † Quod maximâ dexteritate præstitit, edocendo  
 Regem, quo pacto ipsa sollicita sit, nutantes provincias ad pristinam  
 fidem erigere, nec committere, ut alienus ipsis possessor inhiet; Pro-  
 inde ei, ut de nimia severitate aliquid remittat, auctorem esse cupere.  
 8 † Nihilominus procedente tempore Hispanorum insolentia in Bel-  
 gio crescere; Johannes Austriacus crudelitatem Albani redivivam  
 facere, novoqve indutam habitu, arte videlicet æmulandi, in scenam  
 9 producere. † Destinant igitur confugium ad Elisabetham Belgæ  
 denuo *e*): Illa tœdere mutui auxilii amplectitur ac fractos prope-  
 10 modum Gemblacensi clade Belgas recenti nervo & milite firmat. †  
 Instituti rationem, quæ esset Regis Hispanici commodum & propria  
 sua defensio per Legatum in Hispania prolixè exponit *f*). Commo-  
 dum autem Hispani aucupari in eo videbatur, dum interposito au-  
 xilio suo alium aliquem exterum veluti Gallum à supremo in Bel-  
 gium dominio occupando arceret. Cæterum ei inprimis curæ fuit,  
 ne provinciæ, quæ magnâ situs opportunitate & mutuâ necessitu-  
 dine quasi maritali amore conjugatæ pluribus retrò seculis Angliæ  
 adhæserant, si deserantur, in pistrinum abire cogerentur, Angliam-  
 11 que aliquando in ejusdem cognationem sortis attraherent. *g*). † Sic  
 Regina Anno 1585. vix spiritum ducentes, antequam deploratam  
 fortunam suam pace minus honorificâ corrigerent, in tutelam re-  
 cepit; Comite Leycestriæ Roberto Dudlejo cum copiis in Belgium  
 12 ablegato. † Quem ordines Belgii præter Reginæ voluntatem sum-  
 mo cum Imperio Rectorem constituerunt; gaudium prætereà &  
 13 fiduciam super hoc præsidio conceptam multis modis testati. † Cu-  
 jus rei argumentum inter cætera numus est, illo tempore in Belgio  
 cusus; Hc in alterâ facie Leonem ostendit undis circumcirca se-  
 ptum & adspirantem ad siccum cum Inscriptione: *Lætor & emerge:*  
 in alterâ quasi symboli loco impressum: *Autore DEO, favente An-*  
 14 *glie Regina.* *h*) † Quamquam quominus hæc talis benevolentia æ-  
 terna fuerit, Leycestrii ambitio fecit, qui proptereà in magnum Re-  
 15 ginæ odium incurrit. † Sic aliud numisma prodiit ex uno latere  
 fimiam

*d*) Camd. ad An. 75. Meter. ib. *e*) Camd. A. 77. p. 288. Meter. ad A. 77. Thuan. l. 66.  
 idque Anno 1577. *f*) Camden. ad Ann. 77. p. 290. Meter. ibid. p. 198.  
*g*) Camd. ad A. 85. Meter. ibid. *h*) Meter. ad A. 85. Camd. ib.

simiam exhibens per nimium affectum Catulos suffocantem, ex ver-  
so Virum evitando fumum in ignem incidentem, cum inscriptioni-  
bus: *Libertas ne ita chara, ut simie catuli. Fugiens fumum incidit in*  
*ignem.* i) † Nihilominus ingens prostratis Belgarum rebus sola-  
tium ac firmamentum accessit. k) Ut dixerim à Regina Angliæ u-  
niversam tunc Belgii salutem libertatemque pependisse. Nisi enim  
illa perniciosi Hispani consiliis tam acriter sese opposuisset, vix ac  
ne vix ad tantum fastigium Batavia adscendere potuisset. † Cæte-  
rum quicquid de gestis *Strada* l) iudicet (iudicat autem paulò a-  
cerbius, & ad simulandi artificium terè omnia refert,) mihi annotare  
inpræsens sufficiat: *Egisse Elisabetham, ut dominatni Hispanico con-*  
*staret modus.*

i) Meter. A. 86. p. 409. k) Boxh. Cas. pol. disquis. 20. Event. l) De Bell. Belg.  
ad A. 86. p. 621. In universum confer. Thuan. Everh. Reidanus, Hugo  
Grot. Annal. Belg. Fam. Strada de reb. Belg. quæquam non nihil à partium  
studio notatus. Vid. Schurz. in Epist. ad Phil. II. de verâ Orig. mot. Belg.

### APHOR. VII.

Maria Scotiæ Regina suorum manibus Sub-  
ditorum elapsa in Angliam venit: ab a-  
gnata Elisabetha custodia excipitur. Quæ  
ad declinandam cum multas easque gra-  
vissimas, concitasse conspirationes judi-  
cetur, à Regina regniqve curiâ capitis  
damnata obtruncatur.

#### Explicatio.

**M**Oderante Angliæ clavum Mariâ, Gvisii ex Elisabethæ calamita-  
te eximiam sibi spem fabricarunt, cognatæ suæ Mariæ Scotæ  
regnum Angliæ assignando, quod illâ extinctâ propior hâc nemo  
hæres adesset a) † Verùm ubi Philippi II. prudentia secus rem cu-  
raverat, accidit, ut Gvisiorum spem incolumitas Elisabethæ pertur-  
bare. † Interim in argumentum juris animo impressi titulus atque  
insignia

a) Caspar Ens. 1603. p. 246.

4 insignia ascita fuerunt (ut supra Aph. IV. significavi.) † Exulceravit  
 Elisabetham injuria, atque eò altius inflixit vulnus, quo acrior sti-  
 mulus suberat, nempe æmulatio muliebris. Solet autem seqviorem  
 5 mulatio. † A morte Francisci II. mariti multum Maria de ambiti-  
 one remisit, desiderans cum Elisabethâ in gratiam redire. † Hanc in  
 rem literis suâ manu scriptis ejus amicitiam affectavit, offensæ cul-  
 pam amolendo & in Gvifios devolvendo avunculos. De cætero  
 6 hæredem Angliæ nominari impensè flagitavit. † Ad quæ Elisabetha:  
 Juri ejus se nihil quicquam derogatum velle, nolle tamen ei confir-  
 7 poneret. c) † Mox sententiam mutat: Velle eam in sororem aut  
 filiam adoptare ac nominare hæredem, dummodo ipsa Leycestriæ  
 8 comitem maritum vellet. d) † Sed Scota hoc & aliis precis insuper  
 habitis Henricum Darlium dignitate Lenoxiæ comitem, gente Stu-  
 9 artum, adeoque suum agnatum consortem tori assumit. e) † Triste  
 novi conjugis auspiciam. Hamiltonius enim & Moravius Mariæ il-  
 legitimus frater arma induunt, armisq; repulsi in Anglia asylum of-  
 10 fendunt, colore sumpto à religione & libertate. † Interea grassatur  
 scelus occultè. f) Moravius cum corpora non posset, conjugum  
 animos dissociare molitur, mox regem ipsum in lecto trucidare, sub-  
 ornato ad facinus Jac. Heburno Bothvelliæ comite. Qui deinceps  
 à cæde Regis & priore nuptiarum vinculo solutus Mariam viduam  
 11 ducit. † Eò autem artes Moravii spectaverant g), ut regina ducto  
 in matrimonium Regicidâ, suspicione regiæ cædis non careret, ipsi-  
 12 quæ ad regnum eò facilior pateret ascensus. Nec omni res caruit  
 eventu. Bothvellius recens maritus in fugam, Regina summis la-  
 cera contumeliis in carcerem conjicitur atque à subditis regicidii vi-  
 13 olati quæ patrii juris postulatur. † Inde graviora in eam ordines fla-  
 tuere h), extorquere ab invita in carcere abdicationem, metu mor-  
 tis, ni subscribat, injecto. Contra quæ Elisabetha per Trocmorto-  
 14 nam obtestata, sed frustrâ fuit i). † Elabitur interjecto tempore  
 Maria custodia; elapsam exiguâ mora VI cIo. Viri stipant, parati  
 15 armis vindicare libertati Reginam suam. † Sed perdidit victoriam  
 nimius

b) (Camd. A. 61. c) Id. p. 84. d) Id. A. 63. p. 100. e) Id. Ann. 65. p. 113.  
 f) Id. A. 67. p. 126. p. 133. g) Id. p. 137. h) Id. p. 136. i) Id. p. 252.  
 ad An. 68. Meter. A. 85. p. 411.



nimius impetus, ipsaq̄ve perterrita fugam capessit, & in Angliam  
 confecto uno die LX. milliar. Scot. itinere concedit: Elisabethæ ad-  
 ventum ejusq̄ve causam per Joh. Bethonium significat, misso ada-  
 mante, quem in mutui Symbolum amoris ab illa olim acceperat,  
 eamq̄ve ut contra perduelles præstò sit implorat. † Solata eam Eli- 16  
 sabetha, minus tamen accessu dignata, sed custodiâ detineri, donec  
 probaverit causam, imperavit. Detinendam autem ut jure belli ca-  
 ptam ex aulicis quidam existimarunt k) præsertim cum id ex Reip.  
 utilitate esset, utrunq̄ve contrâ cum jacturâ securitatis conjunctum,  
 sive in Galliam sive Scotiam remitteretur. † Elisabetha in præsens 17  
 ad totius clavum Britanniaë arbitra sedens, averfari quidem agnataë  
 abdicationem, ut rem pessimi exempli videbatur, tamen non ma-  
 gnoperè obstitit, quo minus Scotorum insolentia sub Moravii Pro-  
 Regis vexillo impunè grassaretur. † Quin rumor increbuerat, l) 18  
 convenisse cum Moravio Elisabethæ, ut idem regnum Scotiaë benefi-  
 ciarii nomine possideret. Qvanquam ut vanum illa rumorem edi-  
 to scripto damnavit, & Camdenus affirmat m) seriò in Scotiaë cau-  
 sam ex eo incubuisse, præcisâ æmulatione inveteratâ, atq̄ve ut pri-  
 stinaë dignitati restitueretur allaborasse. † Idem intendere Mora- 19  
 vius simulavit, n) Proinde nuptias cum Norfolkciæ duce Sorori pro-  
 posuit, non quod sororis Reginaë salutem suâ anteponeret domina-  
 tioni, sed ut haberet, quæ impertire Elisabethæ possit, fructusq̄ve  
 consilii esset corruptio animorum. † Accidit quoque ut Norfolkcius 20  
 de nuptiis Comites Northumbriaë & Westmorlandiaë o) de liberan-  
 dâ Scotâ cogitarent: Moravius omnia exasperando detegeret.  
 † Hinc motuum Civilium Mariaë causâ auspiciis, dum isti duo in 21  
 apertam seditionem eruperunt. † Norfolkcius hâc vice ad frugem 22  
 reversus, mox de integro consilia eaq̄ve cum præsentissimo Elisabe-  
 thæ periculo conjuncta sequitur p). Horum supremus veluti mo-  
 derator Pontifex erat: Hispanus cum Albano, Joh. Leslæo Mariaë in  
 aulâ Anglic. Legato & Ridolpho Florentino ancillantes. † At su- 23  
 premo rem Numine moderante, catastrophe authoribus sperato  
 tristior obtigit; atq̄ve extremum supplicium Norfolkcius, q) Maria

C

arctio-

k) Camd. pag. 154. l) Id. pag. 172. m) Id. pag. 173. ad Ann. 69. n) Id.  
 p. 163. o) An. 69. Camd. p. 182. p) ad Ann. 1571. q) Norfolkcius  
 criminis convictus coram judicio in hæc erupit verba: *A meis proditus  
 & perditus sum, dum nescirem diffidere, quod nervus est sapientia.*  
 Camd. p. 219. obtruncatus A. 1572.

24 arctiorem subire custodiam iussi. † Hæc ut cautè à Salopiæ Comite  
 postea observata, ita quoad eum custodem habuit (habuit autem  
 per 15. annos) nihil magnoperè moliri audita: præterquam quod  
 in sui amorem & regni Angliæ Johannem Austriacum *r)* pellexe-  
 25 rat, mox eo amorem cum vitâ exuente. † Quamprimum Argû  
 illius oculis subducta novis custodibus tradita fuit, *f)* insidiis atq;  
 26 abruptis consiliis operari cœpit. † Fuerunt, qui id stratagema au-  
 licum interpretarentur, quasi de composito læsa Mariæ patientia in  
 perniciem fuisset impulsâ: Siquidem *aulicis familiare sit invisos etiam*  
 27 *invitos in proditionis crimen impellere.* † Sic Maria Anno 1586. cum  
 Ballardo è Rhemenfi seminario sacerdote & Anton. Babingtono  
 clandestina consilia miscet; Quorum argumentum liberatio sua,  
 Elisabethæ mactatio esset. Ad eadem patranda sex præcipui,  
 iidemque præ cæteris audaciâ prominentes (erant autem XIV. qui  
 28 conjuraverant) propositis à Mariâ præmiis conducuntur. † Verum  
 ubi sibi moles ipsi haud sufficeret, factum ut in se ruerent, qui Re-  
 29 ginæ suæ destinaverant ruinam. † Namque Gilbertus Giffardus in-  
 ter conjuratos ferè Princeps, (qui non ita pridem docuerat esse rem  
 ingentis meriti, *r)* Principem excommunicatam perimere,) omne  
 negocium ultrò ad Walsinghamum desert. Nec desinit conjuratis  
 30 internuncii nomine adesse, utut reverà delator erat. † Hinc aula ex  
 literis conjuratorum datis hinc inde & acceptis rem haurire eò ex-  
 actius potuit; donec ad quæstionem abrepti Babingtonus cum  
 31 suis atrocissimo supplicio succubuerunt. † Seriem Maria clausit.  
 Atqui eadem principio declinare iudicium, ut sorti suæ minimè  
 aptatum fategit. *u)* Denique se stitit, contra tamen obtestando, ne  
 32 cuiquam in terris Principi apparitio sua præjudicet. † Erat causæ  
 cognitio peculiari confessui, eiqve ex Senatorii partim, partim fo-  
 rensis Ordinis Viris conflato commissa. Hi urgere illam ipsius a-  
 manuensium Navi & Curli testimoniis, qui *jurejurando, vivâ voce,*  
*sponte, sine spe aut pretio verissima singula professi erant.* Illa objecta  
 cum temperamento admittere, & obtendere studium libertatis.  
 33 † Negavit autem ad extremum vitæ articulum, se Eliab. sorori dile-  
 ctissimæ

*u)* Ann. 1577. sequenti anno Austriacus diem obiit. *f)* Anno 1584. Camd. p. 384.  
*r)* Camd. p. 428. *u)* Angliæ Leges (inquit) & statuta mihi sunt igno-  
 tissima: Consiliariis sum destituta, qui mihi pares planè nescio. Camd.  
 pag. 439.

Stissimæ (ita nominabat) unquam insidias struxisse, vel cum insidian-  
 tibus fecisse. † Cæterum testes coram fisti, ut ipsa audiret ac diluere 34  
 posset, flagitavit; Qui verò nunquam prodierunt. † A cognitione 35  
 causæ ad sententiam itum; Hanc universum Ordinum Concilium  
 tulit, ad unum omnibus Mariam capitis ream pronunciantibus.  
 † Senectiæ Elisabetha auctoritate suâ assistere primò renuit, vv) 36  
 sive simulandi animo, pro more fœminarum, quæ quod percupi-  
 unt, semper coactæ volunt videri: sive quòd regii sanguinis profu-  
 sionem odisset. † Mox supplices pro maturandâ morte ad Reginæ 37  
 pedes prolabantur: alii ejusmodi dicteriis aures vellicant: *Aut fer*  
*aut feri: Ne feriaris feri: Mors Mariæ vita Elis., mors Elis., vita Mariæ x).*  
 Omnes crudelem misericordiam dissvadent. † Sic fatigata precibus 38  
 suorum; nisi ita videri voluit, sigillo & subscriptione suâ funestam  
 sententiam munivit. Munitam Davisonus à secretis epistolis Or-  
 dinibus tradidit, ordines per carnificem implerunt. † Adeoque 39  
 Maria formosæ sed infelicissimæ exemplum Reginæ in arce For-  
 dringham securi percussa est Anno Christi, 1587. d. 8. Februar. ætatis  
 suæ 45. captivitatis 19. † Mortem ejus Elis. veluti præter manda- 40  
 tum suum festinatam indignissimè tulit; Davisonum neglecti offi-  
 cii postulavit, ac judicio fisti iussit. y) *Non debere tacenda impruden-*  
*tes enunciari, cum Principes, quod uni consiliariorum impertiant, ceteros*  
*sepenumero celent, unus atque alter judicarunt. Innuisse Reginam sal-*  
*tem, non disertè iussisse. † Sed ipse Apologiâ ad Walsinghamum 41*  
 scriptâ se defendit, ac plerique existimarunt, eum alioqui ingenuè  
 bonum atque aulicarum artium ignarum ad tragediæ huic ulti-  
 mam manum imponendam fuisse destinatum, magnâ tristioris ca-  
 tastrophæ parte. (quippe diu in carcere sedit) in ipsum redundan-  
 te. z) † Filium Jacobum VI. Scot. Regem Elis. confestim literis ex- 42  
 cusandi condolendique nomine conscriptis demulsit, qui matris in-  
 dignissimam mortem non sine summâ iracundiâ acceperat. \*) † Re- 43  
 liqua

C 2

vv) Camd. p. 457. x) Ita sanguinis Regii sitiens olim Pontifex pronuncia-  
 vit cum Carolo Andegavensi faveret, contra Conradinum legitimum Si-  
 ciliæ Regem hæredem. Vita Conradini &c. P. Mornæ in Myster. 899.  
 y) Camd. A. 87. p. 486. z) Id. p. 488. \*) Id. p. 483. Addatur Thuan.  
 L. 86. ¶ Not. Secutus ego ut in aliis, sic in hoc negotio Camdenum, quia  
 fide dignissimum. Cæteri, sed exteri, Scriptores veluti Meteranus &c.  
 aliter explicant.

liqua, quæ ad Justitiam hujus facti pertinent vid. ap. Cambd. ad A. 87.  
p. 463. Dn. Ziegler. de regicid. Anglic.

*A P H O R. VIII.*

Hispaniarum Rex Philippus II. instructissimâ classe Angliam debellare aggreditur. Post commissa cum Anglis & cælo hostibus multa prælia non sine insigni clade redit domum.

*Explicatio.*

- 1 **B**elli causas Strada *a)* ab injuriis petit, ego ad libidinem domi-  
nandi referre cum aliis malim, nisi injuria salutanda repulsa sit,  
quâ Hispanum Elisabetha primis regni sui annis procum dimisit *b)*;  
ex scrupulo Conscientiæ partim (etenim idem sororis olim mari-  
2 tus fuerat) partim curâ religionis. † Ex eo enim sinister affectus au-  
spicium sumsit, quanquam se non prius exeruit, quam vinculum il-  
3 lud inter Galliam ac Scotiam dissolutum est, ne ruina unius alterius  
4 esset emolumentum. † Illo cum Francisci morte soluto Philippus  
excommunicationis fulmen non modo amplius non cohibuit, sed  
5 vento quoque animavit, quo eo gravius feriret. † Per Joh. autem &  
Bernard. Mendozas, Chiapinum Vitellium & alios emissarios quot  
& quantas in Anglia pariter & Hibernia turbas conflaverit Camde-  
6 nus passim testatur *c)* † Occultas Hispanorum molitiones Elisab.  
semper apertius ulciscabatur, uterque per subditorum se invicem la-  
tera petebant, alter periculosius, felicius tamen altera. † Et verò quæ  
animum Regis imprimis exacerbare potuerint, fuerunt: Pecuniæ ad  
Genuenses spectantis & ab Albano in suos usus mercatoribus invi-  
tis destinata, interceptio *d)*: Antonius à Philippo Lusitaniæ regno  
ejectus *e)* à Regina sublevatus: Joh. Casimirus Palatini filius ma-  
gnis ejus impensis in Belgium cum exercitu accitus *f)*: Francisci  
Draci

*a)* Hist. Belg. ad A. 88. *b)* A. 1558. Camd. p. 36. *c)* ad A. 69. p. 187. p. 181. 185. 238.  
377. *d)* Meter. ad A. 69. Camd. A. 68. p. 166. *e)* A. 81. Camd. p. 338.  
*f)* A. 1578.

Draci per Indiam Occidentalem prospera velificatio, an deprædatio  
dicam *g*). Alenzonii Dux ab eadem ad capiendam Brabantiaë co-  
ronam incitatus *h*). Omnium maximè accommodata provinciis  
Belgicis tutela. Hæc enim retardari longè latèqve evagantis poten-  
tiaë cursum ille grave duxit. † Invertere hinc consilia & ordinem 7  
statuit; Cumqve antea post Belgium Anglia, nunc post Angliam  
Belgium (ut literarum ordo svadet) post Belgium Europa destina-  
tur præda. † Esse non tantæ molis Angliam occupare, qvantæ Bel- 8  
gium, Politici æstimarunt *i*); Quod Belgium continuum quasi pro-  
pugnaculum sit, tot urbibus totqve arcibus frequens, Anglia contra  
non perinde munita, eòqve facilius occupatu. † Res tantâ gereba- 9  
tur fiducia *k*), ut certissimi iiq; amplissimi expectarentur fructus,  
qvin imò fructus ante messem carperentur distribuereqve pas-  
sim. Tantus prætereà Hispani subditis animus accessit, ut nemo  
præter Hispanum ad bellum gerendum, capiendam belli prædam di-  
gnus haberetur. † Minas ex longinqvo dudum aspexerat Elisabe- 10  
tha, tangi verò non se credidit, nisi obl qvè, adeòqve indulgeri mo-  
ram. † Qvin eo ipso, qui devorandæ Angliæ destinabatur anno 11  
illa in Belgium ad pangendam cum Principe Parmensi, Belgii Recto-  
re, pacem se invitari finit *l*): Hispanisqve intus nil nisi bellum spi-  
rantibus, voce saltem canentibus pacem, fidem largitur. † Namqve 12  
aliud intendere, aliud loqvi speciosum illius ævi artificium erat, ac  
Philippo animo sedebat commentitio pacis negotio Elisabetham  
sopire, sopitam imparatamqve mittere sub jugum. † Nisi technis 13  
technas eludere illam voluisse dicendum est, & pacificationem susce-  
pisse consilio moram Hispan. navigationi injiciendi: quo tempore  
ad navigandum idoneo elapso *m*) Classis isto anno minùs metuen-  
da esset. † Certè illa pro sua prudentia, cui plerunqve diffidentiam 14  
aliquam affundebat, de pace agere suscepit, sed armatâ manu *n*).  
† Etenim & navium & hominum tunc temporis delectus instituit; 15  
Ipsa deinde gentis suæ Pallas gressu nunc militari nunc muliebri, ba-  
cillum ductoris manibus tenens exercitum ad Tilburiam eqves lu-  
stravit. † Intereà solvit Classis à Lusitania *o*), & cum eâ totius qua 16

C 3

viros,

*g*) Vid. Camd. ad An. 85. Thuan. L. 71. *h*) A. 1582. *i*) Met. A. 88. p. 470. Camd.  
ib. *k*) Vid. Strada hist. Belg. ad An. 88. Camd. p. 501. *l*) Met. pag. 475.  
Camd. & Strada ad A. 88. *m*) Strada d. l. *n*) Camd. p. 503. *o*) Id. pag.  
509. Met. p. 476. Strad. ad A. 88.

17 viros, quæ opes spectes, Hispaniæ robur atque nervus. † Imò verè  
 solvitur; Namque primus hic ad ruinam dominationis Hispanicæ  
 aditus, prima ad refringendam Hispani insolentiam occasio fuit, ut  
 18 differit Clariss. Schurzfl. in Colleg. ad Sleidan. IV. Monarch. † In  
 classe, quæ 135, vastissimæ molis naves præter 40. minores amplecte-  
 batur, ad 30000. selectissimorum militum vehebantur. Qui obje-  
 ctam oculis primùm habuerunt, velis adhuc speque Hispanorum tu-  
 midam, ingentis Urbis instar Oceano spaciantis videre videbantur.  
 19 † Vix soluta cum ventis ac tempestatibus colluctari cœpit (quod  
 triste omen nec Xerxianis olim defuit) ut disperlas toto Oceano na-  
 ves, quarum non paucæ inter violentas collisiones perierant, ægrè  
 20 Hispani collegerint p). † Collecta in Coronnia q) Classis sesqui-  
 mensam & amplius reficiendi se causâ commorata d. 21. Julii cursum  
 integravit; atque adeò quæ d. 29. Maji Lusitaniâ excurrerat, d. 30.  
 Julii demum Britannicum mare navigavit, & ab Anglis Pleymutham  
 21 celebrem Angl. Portum præterire conspecta est. † Habebant Hispa-  
 ni in mandatis prope Caletum vel Dunkerkam anchoras firmare, nec  
 Angliam infestare prius, donec Princeps Parmensis r) suam è Bel-  
 gio classem adduxisset: unde utraqve ascendere rursus, altera sub al-  
 terius quasi umbra & alis victoriam acquirere; sive dum grandis il-  
 la cum Anglica classe prælio decerneret, Parmensis interea per Ta-  
 22 misis ostium Londinum pulsare posset s). † Verùm Angli quan-  
 quam navium numero juxta ac mole longè infra Hispanos, nihilo-  
 minus Caletum proficiscentem classem à tergo laceßere aggrediun-  
 tur (& in hac parte Græcos æquantes). Mox navium suarum agili-  
 23 tate Hispanis ventum & victoriam præripiunt. † Hæc apud Anglos  
 prærogativa & procedentibus aliquot diebus stetit, ut velitationibus  
 unâ atque alterâ fracti Hispani non procul Caletum anchoras jecerint,  
 24 statuentes Parmensem ibi opperire. † Sed ignis noctu classi immis-  
 sus cum anchoris consilium istud interpellavit. Quippe evitanda  
 incendiarias ad terrorem à Fr. Draco submissas naves, universa Clas-  
 sis anchoris soluta ventorum velut ex composito continuò spiran-  
 tium

p) Met. p. 477. Camd. p. 510. q) Galliciæ promontorium est, portu instructum  
 celeberrimo. r) Sed hic prohibitus aditu à classe Belgicâ, vid. Met. ad  
 A. 88. s) Persuasum quoque Hispanis erat, fore, ut ubi monstrum illud  
 marinum conspicerent Angli subito terrorem conciperent & fugam.  
 Prout Petrus Valdesius à Fran. Draco captus enunciauit. Meter. ad A. 88.

tium libidini exponitur. Cum quibus commilitonibus conspirantes  
 Angli in fugam Hispanos propellunt. † Sic Classis vinci nescia ( ut 25  
 jactabatur) lacera atque imminuta, infelix accessu, abitu tristior, ubi-  
 que gravissimis mactata miseriis, in gloria domum abiit. Hominum  
 ad dimidiam partem, navium ad gr. plus minus, Anglorum ne 100.  
 desideratis t). † Cladem Philippus composito animo, sed nec vul- 26  
 tu mutato u), nisi ita simulare voluit, toleravit. † Cladis causam 27  
 plerique ad Imperatorem militaris peritiæ expertem referebant vv),  
 Qui insuper nimium quàm religiosè mandatis obtemperando occa-  
 siones, rerum agendarum momenta amisit. † Angli magnam vi- 28  
 storiarum partem Hovvardo Prætori & Francisco Draco Angliæ  
 Themistocli, majorem ventis, maximam ventorum Moderatori  
 DEO assignarunt, † Elisabetha solenni supplicationum die trium- 29  
 fali curru ascenso, exuviis stipata hostium Templum Paulinum ad-  
 iit. † In gestorum memoriam ac publicæ argumentum lætitiæ nu- 30  
 misima signatum cum classe passis velis fugiente & epigraphe, *Venit,  
 vidit, fugit. Dux fœmina facti.* x) † Notaverim hâc singulare Nu- 31  
 minis moderamen, quod suis quælibet imperia limitibus circumscri-  
 bit. Quibus in amplificandis frustra sudare homines oportet, vel  
 fœminâ, quò despiciatius ruant, consiliorum, sæpè etiam salutis ja-  
 cturam infligente. † Eo modo Tomyris olim Scytharum Regina 32  
 invicto alioqui Monarchæ Cyro potentiæ simul & vitæ terminum  
 posuit. † Sic Xerxen illum universi ferè terrarum orbis dominum 33  
 exigua Resp. de summo fastigio in depressam cymbulam detrusit.  
 Carolum V. ultrà progredi Mauritius prohibuit.

t) Vid. Meter. Ann. 88. Camd. ib. Thuan. l. 89. Ens Comment. de Bello Gallo-Belg.  
 t. 3. l. 1. u) Strada ad A. 88. Camd. p. 518. & v) Strada d. l. x) Cambd.  
 p. 519. & c. Meter.

### APHOR. IX.

Elisabetha ut hostibus terror, sic Rebellibus  
 exitium fuit. Sed subditis suis, iisque in  
 fide stantibus, delictum atq; amor. Quo-  
 rum salutem omni tempore venata fuit.

Expli-

## Explicatio.

Sunt Principes homines, quandoque tamen extra humanam collocati sortem. Nimirum observare illos amat, cuius vicem observant, DEUS. Vidimus Leopoldum medios inter Cassios Brutosque versari, & incolumem emergere vidimus. † Audiamus de se pronunciantem ipsam Elisabetham *a)*: *Tot in me pro manarunt molitiones, ut me superesse demirer, nisi præter spem semper divinitus auxilium adfuisset.* † Fontem si investigamus, à Pontifice Romano ferè omne malum. Hic ut suæ per Regnum Angl. jacturam auctoritatis corrigeret, nihil non egit. † Principio instrumenta leniora applicuit *b)* blandisque per Parpalium literis Elisabetham ad tutelam suam invitavit, fide clam interposita: (ut fama loquebatur) Velle contra matris nuptias sententiam rescindere, Liturgiam confirmare, permittere denique Sacramenti sub utraque specie usum, modò ipsa primatum ejus agnosceret. † Post vulpinam pellem leoninam sumsit, nisi asininam appellare malimus; Quam vestitum Excommunicationis fulmen *c)* ad Elisab. migravit; horribiliori sonitu quam lædendi facultate. † Non enim mutaverunt in Reginam affectum, qui habuerunt ante. Sed & Pontificii sacrum obsequii nexum præ Pontificis contra jubentis æstimarunt auctoritate. Profugos tamen ac tumultuosos id diploma procedentibus annis transversissimos egit. † In præsens igitur cum hæc Reginæ ruinam non aperiret, alia via quaeritur *d)*. Itur ad Scotam jamtum captivam, proponitur libertas, Angliæ sceptrum, acqvirenda ope Hispani, Norfolciæque Ducis societate. Fit conjuratio, de intercipienda Elisabetha, invadendo Hispanicis legionibus regno. † Sed unica res, quæ tamen gerendis rebus maximè obstat, æmulatio inter ministros, Chiapinum Vitellium & Albanum orta, dum moram neceret, omnem Consiliorum machinam confregit: Ut pro fructu Norfolcius mortem, Pontifex & Hispanus dolorem frustrati conatus reportarent. † Fabulam ita explosam denuò postea auspicati iidem auctores sunt. Ubi Pontifex *e)* filio suo Jacobo Boncompagno regnum Hiberniæ, sibi Angliam *f)* Hispanus ope Stucleji transfugæ destinaverant: † Atqui ex transverso

*a)* Camd. p. 460. A. 1586. *b)* A. 1560. Camd. p. 74. *c)* A. 1570. Camd. p. 197.  
*d)* Ao. 1571. Camdenus pag. 237. *e)* Sixtus V. *f)* Camd. pag. 298.  
Anno 1578.



verso fortuna negotium curavit, ut Hispanus Sebastiano Rege in  
 bello Afric. commodum casu, regnum Lusitan. ab alieno possessore  
 vindicare fuerit coactus. *g)* † Interim Hibernia ferax perduellium 11  
 terra *h)* tumultibus sequenti anno obstrepuit; submissis in auxi-  
 lium 700. Italis ac Hispanis, qui verò ab Arthuro Barone Grejo ex-  
 pugnati unâ omnes die ad internecionem deleti sunt: frustra *mi-*  
*sericordia, misericordia* clamitantes. *i)* † Hinc mutatur scena. Pon- 12  
 tifex veritus, ne vetustas, quæ omnia consumit, bullam suam ex  
 hominum notitiâ demeret, delegavit, qui diligenter interpretando à  
 rubigine custodirent. Hi tales interpretes anno 1580. in Angliam  
 influebant. Atque erant subditi Angli in seminariis, qualia pro pro-  
 fugis Rhemis in Galliâ, ac Romæ instituta, educati. *k)* † Sigilla 13  
 tim hîc dicendi Robertus Personius & Edmondus Campianus Je-  
 suitæ. Hi e mentito habitu, Pontificiorum ædes & corda scrutati,  
 religionem in factionem immutarunt. Personius imprimis sti-  
 mulos sparsit ad deturbandam variis modis excipiendamque Elis.  
 † Et verò venenatis hujuscemodi scriptis *l)* in tantum animi 14  
 quorundam corrupti fuerunt, ut nobilis aliquando quidam  
 Somervillus audaciâ armatus, qua Mutius olim Scævola stricto ad  
 Regiam gladio properaret, consilio (nisi exceptus) Reginam per-  
 cutiendi. *m)* † Verum quicquid demum moliti insidiarum Pontifi- 15  
 cii, in suam moliti perniciem sunt. Regina maturè edicto cavet læ-  
 sæ Majestatis teneri, qui emissarios illos prætextatos hospitio exce-  
 perit, aut quâvis foverit ratione. *n)* Mox suppliciis contrâ itum.  
 † Antesignani, quos inter Campianus Jesuita, Parrius deinde Juris 16  
 Doctor, facilè Principes, cum aliis benè multis mortem subire jus-  
 si: *o)* alioque tempore 70. Sacerdotes Pontif. deportati sunt. *p)*  
 † Non præteribo (*quanquam multa prætereo*) insignem Patriæ 17  
 suæ turbatorem D. Alanum *q)*; Qui quòd Pontif. voluntatem tam  
 D exactè

*g)* Anno 1579. *h)* Fr. Verulam. in vit. Henric. VII. p. 231. Is ager erat (Hiberni-  
 am notat) in quo fungi illi maxime vigere solebant. *i)* A. 1580. p. 315.  
*k)* Camd. ad A. 1580. p. 318. *l)* Sparsi Anno '84. libelli sunt, in quibus  
 famulas regias Pontificii hortati idem in Reginam committere, quod  
 Juditha in Holofernem cum gloria olim commisit Camd. ib. *m)* Ann.  
 1583. Camd. p. 367. *n)* A. 80. Camd. p. 320. *o)* A. 84. Flor. Reymund.  
 de ortu hæref. p. 6. 12. 3. it. part. 6. 14. 4. &c. *p)* Camd. p. 375. An. 84.  
*q)* A. 88. Meter. hîc p. 473. Camd. p. 507. it. 389. Flor. Reym. 6. 11. 5.

exactè interpretari calleret, in purpuratorum ab eo numerum ascri-  
 ptus est. Qui Hispanico exercitui Anno 1588. Angliam divertere  
 meditantì viam ut sterneret, popularibus suis extremam Pontificis  
 sententiam promulgaverat; Idem alias diversis libris tumultuari  
 18 Anglos subditos docuerat, id tamen irritò conatu. † Ab ictu adeò  
 ferri pariter, & manibus insidiatorum immunem Elisab. Hispanus  
 Pontificisque satellites postea veneno extingvere moluntur. Ad id  
 præstandum D. Lopezius 50000. coronat. conducitur; Sed cona-  
 tu mox emanante idem in iudicium tractus proditionis pœnam  
 19 anticipavit. r) † Perduellium eorumque in vitam Reginæ grassan-  
 20 tium omnium seriem cum vitâ suâ comes Effesix clausit. s) † Ille  
 (patriæ suæ quondam Achilles) Hibernicis motibus, quales Tironius  
 tunc gravissimos excitaverat, sedantis admotus, cum præter man-  
 21 data rem gereret, in aulæ iram, an invidiam, incurrit. † Quâ dum la-  
 borat, à populi favore medelam poscit: & impetrasset, nisi eâ nimi-  
 um fretus Regiam quoque expugnare atque ab invidis purgare an-  
 nisus fuisset. Hinc frustra anniso sententia capitis dicitur.  
 22 † Hibernici tumultus iidemque frequentes at breves, & similes fun-  
 gis subitò nasci emoriquè rursus solitis, ap. Camd. passim videan-  
 23 tur. † Progredior. Elisab. veluti perita medendi artifex sanguine  
 pravo remoto corpus reip. dulcibus identidem medicamentis re-  
 fecit. Rebelles, inquam, excidit; fidos innumeris auxit beneficiis.  
 24 † Primis statim regni sui annis monetam sub patre adultero valdè  
 25 adulteratam abrogavit, probam restituit t) † Dein classem appa-  
 ravit omni nautico instrumento instructissimam u) Ex quo sibi suf-  
 ficere Anglia potuit, nec amplius opus habuit ab Hamburgens.  
 26 Lubecens. Dantisc. Genua & Venetiis naves conducere. † Stipen-  
 27 dia justitiæ administris ampliora constituit. † Rusticis licentiam  
 exportandi frumentum concessit. Unde illi solito acrius imposterum  
 in agriculturam incumbere; vv) Ipsa verò hâc ratione dulci utile e-  
 28 gregiè attemperare x) † Commerciis amplissimum incrementum  
 dedit. Cæperat collegium Mercatorum, Moscovitica societas  
 appellata, Anno 1553. indulgente Basilide per regnum ejus Russiæ  
 merca-

r) An. 94. Meter. hîc. s) Casp. Ens hist. belli Civ. Belg. p. 281. An. 1601. Thu-  
 an. l. 125. 127. t) Ann. 60. Camd. pag. 77. u) Ann. 61. Camd. p. 86.  
 & v) Id. ib. x) vid. Saavedr. Symb. 42.

mercaturam exercere, eamque satis quæstuosam, tantis verò immu-  
nitatibus non florentem, quantas sub Elisab. capatvit. Idque eò,  
quòd Reginam Barbarus ob laudem prudentiæ æstimabat, ac fra-  
terno prope (sororem etiam salutabat) amore prosequebatur.  
† Hinc fœdus quoque cum Anglia coluit, Anglos *in delectum semen* 29  
*populi sui suscepit*, largitus insignes mercatoribus immunitates & li-  
bertatem distrahendi per regnum suum merces, exportandique  
per mare Caspium in Persiam usque. Quod nemini tunc ullius gen-  
tis negociatori præter Anglum licuit. γ) † Eadem Anno 79, à Sul- 30  
tano Imperat. Turc. impetravit, ut Angli mercatores perinde ut  
Galli, Veneti, Poloni aliæque gentes per omne ejus imperium libe-  
rè negociarentur. ζ) † Fontem commerciorum, utramque Indiam 31  
nomino, per Franciscum Dracum 1.) sibi aperuit; Adeoque se-  
cundùm Hispanos (qui dominium suum in Americam à Pontificis  
liberalitate derivant) prima inter principes possidere occidenta-  
lem Indiam aggressa. † Anno autem LXXXV. Virginiam, ita in 32  
Elis. virginis honorem denominatam, Dracus occupavit & Anglia  
hodieque tenet. † Cæterum tributis nemini subditorum gra- 33  
vis fuit; Cumque aliquando solito plus subsidii nomine ordines  
offerrent, ipsa omninò respuit, dicitans: *Pecuniam in subditorum*  
*arculis perinde esse ac in suis.* 2) † Suspicioni contra subditos suos 34  
ægrè locum dedit, *Se nihil*, inqviens, *de suis credere posse, quod de li-*  
*beris parentes nolunt.* 3) Sic suo ipsa amore subditorum amorem  
accendit & conservavit. † Populus ut ejus rei aliàs multa, sic ali- 35  
quando insolitum publicè testimonium edidit; Cùm enim ad or-  
dinum concilium Regina è Palatio Westmonasteriensi prodiret, à  
tantâ accurrentium multitudine excepta fuit, ut ultrà 12. homines  
inter concertationes applausuum Elisab. salutem resonantium  
conculcati perierint. 4.)

γ) Camd. p. 145. A. 69. p. 170. p. 362. ζ) C. A. 79. p. 305. 1.) Fr. Draci Expedi-  
tiones vid. ap. Camd. A. 80. &c. An. 85. p. 408. Thuan. L. 71. Meter. &c.  
2.) Camd. A. 66. p. 123. Conf. Lanf. Consult. pro Britann. p. 508. 3) C.  
A. 79. p. 302. Ipsa aliquando professâ publicè fuit: Aures credulas mini-  
mè præbui, judicium præjudicio, causâ inauditâ, non corrupti. Camd.  
ad A. 84. 4.) Casp. Ens hist. bell. Civ in B. p. 28. A. 1597.

APHOR. X.

Elifab. Angliam XLV. annos cœlebs modera-  
ta, regni pariter ac vitæ fatur, A. 1603. su-  
preum diem obiit, desiderium pru-  
dentis eruditæ, omnibusqve numeris ab-  
solutæ Principis reliquit.

*Explicatio.*

**N**E benevoli Lectoris patientiâ excludar, absolvam me paucis.  
De cœlibatu ejus, quem jam colere unicè, jam abjicere, ac com-  
mutare dulci connubio sæpius meditabatur, dicere prolixum esset;  
sed id negotii ad pauca cogi potest. Prout autem tempora, ita Con-  
silia variabant. † Principio ubi ex Scotia minus gratum fidus An-  
glico successurum se exhiberet, subditi nuptias anxie ac propè tu-  
multuosè flagitare a), ipsa recusare; curâ verò istâ dissipatâ rursus  
illi dissvadere, hæc appetere. † Subdito nubere, id quod à subditis  
flagitabatur, dignitati suæ minimè congruum, exterum verò mari-  
tum accerere nec utilè adeò regno, nec subditis gratum videbatur  
b). † Interim frequenti Procorum turbâ, quâ fortè vix ulla post ho-  
minum memoriam virgo laboravit. Inter præcipuos, qui erant Phi-  
lippus II. Hispaniæ, Ericus Sveciæ, Reges: Carolus Austriacus,  
Henricus Andegavenfis, deinde Rex Franciæ: Franciscus Alenconi-  
us, postea Andegavenfis, nemo nuptiis propior fuit, quàm postre-  
mò nominatus Alenconius c). † Sed quoniam ab iis populi volun-  
tas, ex religionis scrupulo partim, partim Gallici odio nominis defle-  
tebat, & illa quoque abhorruit. Atque ita regnum pro marito, sub-  
ditos pro liberis gerens vitam perpetuò cœlebs exegit d). † In de-  
signando hærede prudenter parca fuit, non quòd Scoticam domum  
suo ad regnum jure prohibere vellet, sed ut sibi securitatem sartam  
tectam

a) Camd. A. 59. p. 49. it. A. 66. p. 121. b) Casp. Ens hist. B. C. in B. p. 244. A. 1603.  
Camd. p. 120. c) A. 1501. Camd. ib. Illo tempore liber prodierat: Vo-  
rago quæ Anglia Gallico connubio absorbenda, vid. Camd. d. l. d) C.  
p. 51. Sibi esse maritum regnum, liberos subditos, subditis nuptias ur-  
gentibus respondit. Ib.

rectamque conservaret, quando designatio hæredum in Anglia ple-  
rumque aliquid exitii aleret e). † Itaque edicto decrevit, ne quis pri- 7  
vatim aut publicè de ejus hærede sermones sereret. Et aliquando  
Thorntonum Juris in Collegio Lincoln. Prælectorem, quòd Mariæ  
Scotæ in Angliam jus disceptare inter recitandum susceperit, in car-  
cerem conjecit f). † Sic Jacobum VI. Scotiæ Regem, quanquam 8  
ab Elisab. publicè nunquam nominatum, Angliæ hæredem, ut diu  
credidit, ita sine turbis accepit. † Obiit g) Richemundæ d. 3. Aprilis 9  
ann. 1603. postquam paulò ante Reipublicæ curam morosa senectus  
excussisset, ipsaque vixisset annos LXIX. VI. menses, diesque XVII.  
& annos XLV. regnasset. † Cadaveri d. VIII. Maji iusta decreta, id- 10  
que Westmonasterii conditum tumbâ, & ornatum sequenti Epita-  
phio est.

### *Memoria sacrum*

Religione ad primævam sinceritatem restauratâ, pace  
fundatâ, monetâ ad justum valorem reductâ, rebellione  
domesticâ vindicatâ, Galliâ malis intestinis præcipiti  
sublevatâ, Belgio sustentato, Hispan. classe profligatâ, Hi-  
berniâ pulsis Hispanis & rebellibus ad deditionem re-  
ductis pacatâ, relictibus utriusque Academiae b) lege An-  
nonaria plurimum adauctis, totâ denique Angliâ ditatâ,  
prudentissimèque annos XLV. administratâ, Elisabetha  
Regina, Victrix, Triumphatrix, Pietatis studiosissima, fe-  
licissima, placidâ morte septuagenaria soluta, mortales re-  
liquias, dum Christo jubente resurgant immortales, in hac  
Ecclesia celeberrima ab ipsa conservata & denuò fundata  
deposuit.

† Fuit autem, dum viveret, Princeps & animi & corporis doti- 11  
bus suprâ sexum incomparabilis i). Staturâ justâ, eaque ad insi-

D 3

gnem

e) Boxh. Inst. Pol. p. 371. Meter. A. 87. p. 425. Camd. p. 122. f) Camd. Ann. 66.  
p. 124. g) Vid. Casp. Ens. H. B. C. in B. Ann. 1603. h) Oxoniensis &  
Cantabrigensis. i) Casp. Ens. H. B. C. in B. A. 1603.

12 gnem pulchritudinem compositâ: ingenio acri, tenaci memoriâ,  
 13 judicio exquisito. † Studiosa literarum & ad miraculum erudita, li-  
 14 teratos æstimavit adeò, ut quando à publicis vacavit, ipsa nonnun-  
 15 quam Cantabrigensem Oxoniensemque academias inviseret, singula  
 Collegia perlustraret, tempusque protruderet inter studiosorum dis-  
 16 fertationes k). † Legatis ex tempore respondit eâ ferè lingvâ, quâ  
 17 negocium quisque suum exposuerant l). † Constantiam dignam  
 Principe virtutem coluit, & ut aures ea animumque subinde circum-  
 18 sonaret pro symbolo usurpavit: *semper eadem*. † Temperantiæ,  
 quæ seqviori sexui propria esse debet, omni tempore inserviit, neque  
 19 cibum sumsit, nisi appetitus svaderet, nec merum gustavit m). Fru-  
 20 galis privatim, publicè magnifica; † In omnibus rebus singularem  
 quandam gravitatem cum multa comitate mistam ostentavit. Ad re-  
 gnandum ab ipsa velut natura efformata, artesque necessarias edo-  
 cta, navem Reipubl. ita direxit, ut à tot tantisque uno toties impetu  
 ingruentibus procellis salvam eam illæsamque præstiterit. Sed quid  
 multa? Ipsi hostes virtutes Nostræ, quanquam non sine invidia, admi-  
 21 rati, & inter eos facilè princeps Pontifex Sixtus, V. hoc largitus testi-  
 monium est n). *Toto orbe (per sæpè dixit) se unum virum & fœmi-  
 22 nam o) videre dignos, nisi labe sectariâ infecti essent, qui regnarent, &  
 quibuscum ipse de ingentibus rebus consilia, quæ animo agitabat, commu-  
 nicaret. Tantum!*

k) Camd. A. 64. p. 107. Id. An. 66. p. 119. l) Uno & eodem die tribus Principum  
 Legatis, Latinè uni, alteri Gallicè, tertio Italicè respondere audit.  
 Calp. Ens H. Belg. ad A. 1673. m) Camd. A. 72. pag. 249. n) Thuan.  
 o) Henricum Navarrum & Elisabetham indicans.

SOLI DEO GLORIA.

CO.

# COROLLARIA.

1.

Præexistentia animarum non datur: contra Origenem & Platonem.

2.

Voluntas semper bonum appetit & persequitur, malum odit & declinat.

3.

Perperam Lex dividitur in justam & injustam.

4.

Defensio armata contra Principem subdito negatur.

5.

Crucem CHRISTI Salvatoris *patibulum* vocare non penitus inusitatum est scriptoribus Ecclesiasticis, Hieronymo, Ambrosio, Prudentio, aliis. Non erat ergo, cur in eadem re Castalionem reprehendens Gretserus f. 2679. de Cruce locutionis hujus sonum negaret in auribus piorum bene sonare.

F I N I S.

QX T<sub>2</sub> 507/1

144

Præsentia ammittunt non dant: con-  
tra Originem de Trinitate

Voluntas semper bonum appetit & peris-  
patum malum odit & declinat

Responsum Lex dividitur in justam & in-  
justam

Dicitur de arce contra Principem subdito  
negatum

Græcum Christi Salvatoris nomen vocare  
non potuit in tantum de scripturis  
Eusebius, Hieronymus, Ambrosius,  
Irenæus, etc. Non est ergo, cum  
etiam in Cassianorum reprehendens  
Græcorum de Crucifixione omnia  
in locum negat in quibus primum  
periculis

F I N I S

ML

1077



Q.K. 376, 15.

EL

Ampli

DN.M

Eloqv



Pat



ali

HA

indultu

simi

MASII,

Collegii

lends

BIBLIOTHECA  
CONICKAVIANA

n/

